

V 9
4524





Vg
4524



62



Q. N. 260/11.

17. 433.

IOANNES ANTONIVS NIEMEIER
PAEDAGOGII REGII HALENSIS INSPECTOR

EXAMEN PVBLICVM

IN PAEDAGOGIO REGIO

D. XXIV ET XXV SEPTEMBER. MDCCLXI

HABENDVM

INDICIT

ET SIMVL

FAVTORES ATQVE AMICOS

AD

AVDIENDAS ORATIONES VLTIMAS

QVATVOR SELECTI ORDINIS CIVIVM

OFFICIOSE INVITAT

EXHIBETVR

PHILIPPI MELANCHTHONIS EPISTOLARVM

ADHVC NONDVM EDITARVM

P E N T A S.

H A L A E

EX OFFICINA SCHNEIDERIANA.




IOHANNES WILHELMUS NIEMEIER
LEBENSLEHRE DER MEDICIN
EXAMEN PUBLICUM
IN THEOLOGICO REGIO
M. LXXXV ET XLV. MEDICIN. FACULTATE
HALLAE
MDCCCXXXV

ET SIMIL
FAVTORES ATQUE AMICOS
AD
AUDIENDAS ORATIONES VLTIMAS
ORATOR SELECTI ORDINIS CIVILIS
OFFICIO INVITAT

EXHIBET
PHILIPPI MELANCTHONIS EPISTOLARVM
AD HOC NONDVM EDITARVM
P E T A S

HALLAE
EX OFFICINA SCHNEIDERIANA





Constitueram mecum, cum orationibus quorundam ex
 iuuentute nostra, apud nos quidem vltimis, stu-
 dia vellem Auditorum beneuolasque aures scrip-
 tione aliqua conciliare, hanc ipsam memoriae il-
 lactabilis, qui inter nos in ipso hoc, quod nunc
 exigimus, scholastici laboris semestri curriculo, haud pridem accidit,
 casus, consecrare. Exprimere videlicet studuissem, quantum per ami-
 citiae & veritatis leges licuisset, vitae morumque antiquorum imagi-
 nem, mortemque somno similem Viri Praeclarissimi, IOANNIS FRI-
 DERICI FIDDECHOVII, Colberga-Pomerani, Collegae coniunctissi-
 mi, perque annos XXII amici integerrimi, qui die XXVII Maii
 h. a. annos natus XL & V hebdomades in Paedagogio nostro diem
 suum beate obiit, nisi paucis ante obitum diebus altum de se silen-
 tium nobis imposuisset Viri desideratissimi modestia. Obtestabatur
 enim graui Vir beatus & iam tremula voce, vt omnis ab ipsius funere



pompa procul abesse iuberetur; vetabat sancte, quidquam fuscipi, quod esset cum inanibus funerum caerimoniis aliqua cognatione coniunctum, leffusque funebres adeo, aut alia in honorem ac laudem defunctorum prodi solita, identidem deprecabatur: Trinuni Deo animam, corpus humo, hominibus obliuionem sui commendare; illud vnum sufficere sibi, scire, nomen suum in coelis scriptum esse, in terris velle ignorari.

Adderem plura, & in hunc, quem attigi, campum excurrerem, nisi ea fidei videri posset violatio, quam Viro, in beatarum mentium concilium iam recepto, data dextra confirmaram. Habent interea rationem & nostrates & si quorum praeterea forte illam scire interest, tam publici, quam priuati silentii, quod post fata beati Viri a nobis seruatum est & seruari debuit. Enimvero quemadmodum his, quas dixi, cogitationibus nostris beatus Collega ipse intercessit: ita alius consilii exstitit, quod explere adgredior, auctor suaforque. Cum enim epistolae quaedam *autographae* Viri summi, PHILIPPI MELANCHTHONIS, ad hunc vsque diem, quantum nos quidem scimus ineditae, ab ipso, quia ad Bibliothecam Orphanotrophei curae ipsius creditam pertinebant, custodirentur, suadebat, vii publici iuris eas, si liceret, facerem. Non displicuit consilium, praesertim cum memoria saecularis Viri laudatissimi, Germaniae totius, quin immo totius Europae Praeceptoris rediisset, quam per hos duo annos orationibus solemnibus, carminibus scriptisque varii generis celebrare dignam iudicarunt viri de re sacra & litteraria meritissimi.

Probauit propositum summe Venerandus Director noster DN. D. GOTTHILF AVGVSTVS FRANCKIVS, deditque beneuole describendi illas typisque exprimendi potestatem. Est quidem, quae prodit, Pentas tantum, quum Vir Praeclarissimus M. 10.

ARNOLD

ARNOLD BALLENSTADIUS, Ducalis scholae Schëningensis Rector meritissimus, Decadibus iam duabus epistolarum huius magni Viri, lustri interiecto spatio, orbem litterarium locupletauerit.

At vero post messes nec spicilegia contemnuntur. Cognoui enim ex particula XIX *relationum hamburgenſium de civilibus & litterariis rebus h. a. (des unpartbeyischen Correspondenten)* meditatam esse Virum laudatum, quem hac Pentade carere nollem, epistolarum Melanchthonis ante hunc vsque diem ineditarum editionem primam. Edidisset iam numerum illarum ad CCCC accedentem, si, quod dedecori esse saeculo nostro bene iudicat hamburgenſis auctor, inuenire potuisset bibliopolam. Inuenisset sine dubio, si nugis onerare & deliramentis ingeniosis voluisset aetatem nostram atque posteritatem. Non paucis interea mirum videri posset, post tot collectiones tantum adhuc superesse ineditarum numerum, ut vnus *Ballenſtadius* illum, quem indicauimus, thesaurum solus colligere potuerit. Sed desinent mirari credentque facile multas adhuc & editis forsan plures latere posse, si ad mediocrem tantum calculum, quae scribi potuerunt, definito ſcriptionis spatio, epistolarum numerum reuocare velint. Sit nobis hoc spatium inde ab anno MDXX vsque ad emortualem annum MDLX. Tribuamus, si placet, cuius anno ducentas tantum epistolas: habebimus hac ratione ad octo chiliadas. At vero in aprico res est, nec spatium temporis, quod posuimus, nec numerum sufficere posse. Si enim Virum laboriosissimum cogitamus cumque omni coetu sacro, quam late ille per Germaniae & plurium regnorum prouincias patuit, coniunctum; si porro perpendimus, quot cum hominibus ipsi & quibuscum res fuerit; si denique consultationes consideramus & diiudicationes in ista praesertim temporum difficultate vndiquaque ab ipso efflagitatas, fidem sane excedere non videtur, si quemuis annum trecentas, immo quadringentas, & quod excurrit, sibi epistolas vindicare potuisse, nobis persuademus; atque adeo relictarum possent esse aut XVI aut ad minimum XIV millia

epistolarum. Ex his vero & iniuria temporis aut hostium infania, aut inimicorum invidia & superstitione, aut hominum inscitia, aut casibus quibusdam tristibus, vel VI millia si fingamus periisse, ingens tamen numerus ab interitu vindicatus superesse, credi possit. Est omnino magnus publicatarum numerus, quarum collectiones & editiones laudat b. BAUMGARTENIUS, Vir omni nostra laude maior, in parte VI *relationum de libris memorabilibus* pag. 151 - 173. & part. VII. p. 311. sed forsan par numerus, forte etiam maior adhuc hinc inde latet ineditus. Exoptarunt iam diu viri eruditi aequae novae omnium, quae exstant, Melanchthonis epistolarum ac illarum quoque editionem, quae passim sparsae in bibliothecis huc vsque delituerunt. Poffet haec nova collectio ex bibliotheca Guelferbyrana & Wolfiana hamburgensi Mser. vt *Ballenstadium*, aliorumque affectas collectiones taceam, iudice BAUMGARTENIO l.c. ex sua bibliotheca non exiguas accessiones pollicente, insigniter augeri. Vidi quondam ipse ingens autographarum epistolarum volumen, Lutheri, Melanchthonis imprimis, Brentii, Camerarii aliorumque ista aetate excellentium virorum manibus superbiens, quod quasi humili tantum loco retentum, illustriorem deinde in Baumgarteniana gaza libraria occupavit. Atque haud scio, an in bibliotheca Orphanotrophei nostri non hac pentade plures reperiri potuissent, si mihi & temporis angustiis & variorum concursu laborum intercluso licuisset, adeo esse otioso, vt serinia ipsa adire & perferuari potuissim.

Sed non retinendi sunt his nostris cogitationibus diutius Lectores, quorum oculis Melanchthoniana illa *λειψανα*, quorum procul dubio cupidiores erunt, sine longioris praefationis mora, nunc subiicimus. Comitatas autem videbunt eas adnotationibus quibusdam, de quibus nolim Lectores beneuolos ignorare, non meas illas esse, sed alienae diligentiae deberi. Quae quidem res sic se habet. Collegeram ipse non pauca, ne omnino nudae prodirent

dirent Viri summi epistolae, tum ex historia sacra, tum litteraria, quibus lucis nonnihil adfundi illis, mea quidem opinione, potuisset. Cum vero istam Pentadem Philippicarum epistolarum cum Fautore & Amico, singulari officio colendo, piaequae & doctae antiquitatis amanissimo nuper communicauissem, visum est Viro & humanitatis doctrinaequae laude & muneris amplitudine conspicuo, easdem quasi cum foenore mihi reddere, id est, cum earum, quibus stipatae comparebunt, adnotationum grato munere, quo vtendi in hac scriptione copiam ille simul dederat. Id ergo cum publica grati animi significatione eolubentius facio, quo magis vt eadem Lectoribus nostris arrideant, futurum confido.

PENTAS EPISTOLARVM
 PHILIPPI MELANCHTHONIS
 EX
 AVTOGRAPHIS.

I.

Optimo viro D. Georgio Spalatino
 patrono suo.

S. Conuenerat, ut Grimmam secederemus, quom (quum) & adfer-
 tur, in eadem ibi naui nos fore, & me bona scholae pars rogat,
 ne qua subito moueam, quando merus adhuc magis, quam periculum
 iudicetur. (vel iuberetur, vel audiretur: *legi enim plane ☪ expli-
 cari non potuerunt litterarum ductus*). Haec me causae retinue-
 runt haecenus, nihil contaturum, (eunctaturum) ubi periculi ma-
 gnitudo imperauerit. Misnerus Cembergae euentum rei expectat
 secessu & Aurogallus, praeter hos, quod sciam, ex Lectorib, nemo.

Atq;



Atq; ut illis fraudi esse non debet imbecillitas, ita nolim, temeritatem interpretari id quod fit a nobis. Videor n. (enim) & rei conditioni & scholæ necessitati adhuc paruisse. Urbis nræ (nostræ) grammaticus, vir pius, & sancte eruditus te rogat obnixè, ut, siquid potes, se in re necessaria adiuues. Ambit autem ἐπισκοπήν quandam Coburgicâ, ut ex ipsius opinor literis intelliges. Facies in eo non tam ipsi, quam ecclesiæ Coburgens (Coburgensi) rem utilem, cui Concionatorem talem dederis. Non est n. (enim) quod tu fortasse suspicere, ex iis qui quiritari tm, (tantum) non εὐεγγελιζέσθαι didicerunt. In me collatum puta, quidquid in illum contuleris. Mitto tibi meas θέσεις de Missa, in quib. non puto te desideraturū modestiam. Quanquam si sciam studia mea, laboresque non probari illuss principi, etiam hac hora hinc soluturus sim. Sensi & sentio in Missæ caussa, ut mihi debere videor. Atq; utinam tu cariss. Spalatine æstines quas animarum legiones sacerdotia perdiderint. Ecce autem & Misneri literas de sacerdote, quem vinctum habuit Moguntinus. Ad didi Fabricianam ad me, ut uideas, quantum illi sit imminutus animus, quem putabant paulo ante tam multa minari. Vale & me in fidem tuam commendatum, in tuo grege agnoscas.

Philippus tuus.

ADNOTATIONES.

I. De epistolis Melanchthonis in genere.

Quum epistolæ Melanchthonianæ semper apud eruditos in pretio sint habitæ, diuersi etiam de iis egerunt auctores. Et quamquam permultæ earum iam in lucem publicam editæ sunt: tamen non est negandum, haud paucas adhuc in seriniis litterariis latere^a), dignas omnino, quæ in vulgus prodeant. De variis illarum

a) Sic v. c. in catalogo bibliothecæ Ludewigianæ manuscriptæ adparent epistolæ MELANCHTHONIS authenticæ pag. 25. n. 100. 101, p. 27. n. 115, p. 29. n. 124 et p. 151. n. 775. Insignia ineditarum superesle spicilegia, referur etiam in SECKENDORFFI histor. Lutheran. in scholiis ad indic. I historic. sub voc. MELANCHTHON

illarum editionibus legi possunt GYNDLINGII *historia litteraria in Heumanni conspectum*, tom. II, p. 2425, not. (13) & D. BAYMGARTENII *Nachrichten von merkwürdigen Büchern*, tom. VI, p. 151-173 & tom. VII, p. 71 sq. In ANDR. SCHVMACHERI *gel briet Männer Briefen an die Könige von Dänemark vom Jahre 1522 bis 1663*, part. II, reperiuntur 35 epistolae PHIL. MELANCHTHONIS. Ceterum de usu et laudibus epistolarum Melanchthonianar. vid. MORHOFFII *polyhist.* l. I. c. 23. §. 51-53. p. m. 281; WEISMANNI *hystor. ecclesiast.* tom. II p. 1256. & HEVMANNI *conspect. reipubl. literar.* c. VII. §. 31. p. m. 470, quibus addantur STOLLII *Anmerkungen über Heumanns conspect. reipubl. liter.* p. 1036. Neque hic praeterendum, *clauem* in epistolas Phil. Melanchthonis suppeditari in CHRISTIANI THOMASII *historia sapientiae et stultitiae*, tom. I. p. 1-22.

An in scriptis recentioribus, quibus superiore anno *memoria* MELANCHTHONIS *saecularis* renouata est, *epistolarum* ipsius mentio facta sit, haud ignorabunt ii, quibus ea perlustrasse datum est b).

II. De quinque bisce epistolis autographis.

An istae vniquam luci publicae expositae sint, omnino dubito. Euolui IOAN. GOTTFR. OLEARII *scrinium antiquarium*, et IO. FRID. HEKELII *manipulum epistolarum singularium*; at nihil de illis inuenire potui.

Adnotationes speciliores ad epistolam I.

Quum annus et dies harum litterarum datarum desideretur, ex argumento aliisque rationibus facile conici potest, eas circa annum MDLXXII vel XXII exaratas esse.

B

Ad

CHTHON. In der *Samlung von alten und neuen theolog. Sachen* 1730. p. 367 sq. dicitur:
„Melanchthons Episteln haben theils *Camerarius*, theils andere erdret, und verdieneten wol mit denen ineditis (deren der sel. *Spizelius* 124 besessen, in der *Gotbaischen* Bibliothec aber sollen ihrer 6000 editae & ineditae seyn) wieder gedruckt zu werden.“

- b) Pertinent huc e. g. *memoria* PHILIPPI MELANCHTHONIS, 1760, in 4t. *Hist. rischer Beytrag zu dem Ehrengedächtniß Philipp Melanchthons*, Altenburg. 1760, in 8v. IO. GOTTFR. BOEHMII *oratio de PH. MELANCHTHONIS in academiâ Lipsicam insignibus meritis*, Lips. 1760, in 4t. DAN. GOTTFR. HOFFMANNI *Abhandlung von PH. MELANCHTHONIS Verdiensten um die deutsche Reichs- und Staatsgeschichte, nebst einem Vorberichte von denen auf seinen Tod herausgekommenen Schriften*, Tubing. 1760, in 4t.

Ad inscriptionem.] De GEORGIO SPALATINO, cuius nomen satis celebratum est, nihil attinet dicere. Conferri tamen potest *historia vitae* GEORG. SPALATINI, *praefide* D. CASP. SAGITTARIO, Ienae, clō loc LXXXIII. Vid. M. IO. GOTTFR. OLEarii *scriin. antiquar.* p. 184 fqq. Obiit vir iste meritissimus a. clō 10 XXXV d. 16 Ianuar.

Vt Grimmam secederemus.] Causam propositi huius secessus dedisse videntur turbæ, *missæ* abrogandæ causâ Wittebergæ ortæ; de quibus in M. BÜRGERIS *hisor. Nachricht von Lutheri Münchstand und Closterleben*, p. 359 varia exhibentur monumenta.

Vbi periculi magnitudo imperauerit.] Conferri heic potest SECKENDORFII *hisor. Luthersismi*, libr. I, sect. 48, §. CXVIII. p. 191 fqq. et §. CXVI, p. 447 fqq. versionis germanic. *Frickianæ*.

Misnerus Cembærgæ euentum rei expectat secessu.] Quisnam *Misnerus* ille fuerit, indagare nondum potui. Videtur tamen professor quidam Wittebergenfis fuisse: id quod ex SENNERTI *Arten. Witteberg.* (quæ ad manus non sunt) vel ex aliis scriptoribus academiae Wittebergenfis, quorum larga seges in BYRG. GOTTHELF STRYVII *bibliorbeca Saxon.* part. I. sect. I, §. XV. p. 28 fqq. producitur, propius perspici poterit.

Et Aurogallus.] Est is MATTHÆVS AVROGALLVS, Professor graecæ linguae Witteberg, et LVTHERI in vertendis bibliis *παρὰ δόξαν*. De quo vid. *allgemein. hisior. Lexic.* tom. I. p. 344. it. BAYLI *dictionar.* tom. I. p. 409 versionis *Gorschedianæ*.

Amhit autem ἐπισκοπὴν quamdam Coburgic.] Consului hac de re G. F. HÖNNII *Sachsencoburgische Historiam*: at nihil certi inde determinari poterit. Quæ ibi lib. I. c. 15. p. 79 leguntur, hæc sunt: „M. BALTHASAR THÜRING, (al. DÜRING) aus Preussen bürtig, kam 1525 von Wittenberg anhero, vnd wurde ihm die Regierung in der Kirchen aufgetragen, auch darauf er zu einem Superatendenten dieses Coburgischen Gezirkes verordnet.“ Conf. *ibid.* libr. II, p. 137. ad ann. 1525.

Mitto tibi meas Trices de missa.] Prodiere MELANCHTHONIS *propositiones de missa ac vero usu coenæ Dominicæ* anno clō 10 XXII. Vid. ADAMI *vir. rheolog.* p. m. 159 edit, in fol.

De sacerdote, quem vincitum habuit Moguntinus.] *Moguntinus* est archiepiscopus ALBERTVS. De *paroco* autem, ad vxorem, quam duxerat, dimittendam & abiurandam carceris poena coacto, vid. SECKENDORFII *hisor. Lutheran.* libr. I. sect. 45. §. CVII. p. 175 & p. 419 edit. german.

Fabricianam sc. epistolam.] Innuitur, vt ego quidem arbitror, WOLFGANGVS FABRICIVS CAPITO, tunc cancellarius ALBERTI cardinalis. De quo vid.



vid. D. IO. ALB. FABRICII *centur. Fabricior.* centur. I, pag. 77 sq. it. SECKENDORFIVS l.c. et ADAMI *vit. theolog.* p. 41 sqq.

II.

Egria doctrina & virtute praedito D. Alexandro
Alesio Scotto in Academia Francofordiana,
Amico suo.

S. D. **Q**uid causae esse dicam, quod nullus ad me literas mittit, cum & ipse nuper tibi scripserim, & discedentem tam diligenter rogarim, ut de mea filia, deq: tuis reb. ac de scholae statu, quam plurimum & sepius. (sapisime) ad me scriberes. Non liber dicere, quibus suspicionibus animus meus crucietur. Quare si mea officia aliquando tibi grata fuerunt, vicissim hac in re mihi ut reddas gratiam oro. Scribes autem, etiam si ego abero, nam Paulus noster tuas mihi literas mittere poterit.

Spirae conuentum indixit Imperator; ubi suam sententiam de conciliandis Ecclesijs proponeret. Qualis sit futura, nondum scimus. Illud tantum scio, seuic (seuicitiam) in Belgico post Caesaris aduentum auctam esse, Gandavii pretextu doctrinae aliquot locupletes & honesti viri interfecti sunt. Sed spero deum Ecclesias nostras defensurum esse. Bene vale & Rescribe. 16 May 1540.

Philippus Melanthon.

Ad epistolam II.

[Ad inscriptionem.] ALEXANDER ALESIVS Scotus e), Edimburgi in Scotia a. c10 15 d. 23 April. natus, post varios casus in Germaniam delatus; a. c10 15 xxxix Professor theologiae in academia Viadrina constitutus, postea vero a. c10 15 xxxxiij Lipsiae idem munus obiit, ubi tandem a. c10 15 lxxv d. 17 Mart. vitam cum morte commutavit. Reliquit varia scripta d). Plures ad eundem MELANCHTHON scripsit

c) Distinguendus est ALESIVS noster ab ALEXANDRO ALESIO seu DE HALES, gente itidem Anglo, qui *doctor irrefragabilis* vulgo appellatus circa a. c10 cxxx claruit. vid. G VIL CAVE *scriptor. ecclesiast.* p. 628. it. D. EVDDEI *isagog. in theolog.* p. 362 b.

d) Ad manus est D. ALEXANDRI ALESII *epitome expositionis catechismi D. PHILIPPI*



scripsit epistolas. Vid. MELANCHTHONIS *epistol. ad Camerar.* p. 428. Infer-
tae etiam sunt MELANCHTHONIS *epistolae ad ALESIVM MASCIAE in der Sam-
lung von alten und neuen theolog. Sachen a.* 1726. p. 717 sqq. et a. 1727. p. 519 sqq. in
qua collectione plarum etiam plures MELANCHTHONIS *epistolae* e latebris eru-
tae adparent. Plura de vita ipsius depremdenda sunt ex M. IAC. THOMASII
orationibus, quippe in quibus integra *oratio XIII* de ALEXANDRO ALESIO
agit p. 300-322. Conf. etiam *allgemein. histor. Lexic.* tom. I, p. 122 b, et BAYLE
dictionar. tom. I, p. 158 edition. vernacul. Gottschedian.

De mea filia.] Fuit ea filia MELANCHTHONIS natu maior, ANNA,
coniux GEORGII SABINI, qui eam a. c. 1536 in matrimonium duxit e),
et paulo post a. c. 1538 in acad. Francofordianam ad praeflectionem poeta-
rum & oratorum latinorum vocatus fuit. Vid. *vita GEORGII SABI-
NI* per PETR. ALBINVM, *edita a THEODORO CRYSIO*, p. 106 et p. 112 sq.

Eriamse ego abero.] Nimirum Witteberga, propter iter instans Spirense seu
potius Haganonense, de quo mox dicitur.

Nam Paulus noster tuas mihi litteras mittere poterit.] Intelligitur dubio pro-
cul PAVLVS EBERVS, vir notissimus, et deinde Professor ac Superintendens
Wittebergenfis, a. c. 1578 denatus: de quo M. ERDMANN VHSE *in dem
Leben der Kirchenlehrer des XVI und XVII Jahrhunderts* p. 146 inter alia testa-
tur: „Melanchthon hatte ihn ungemein lieb, communicirte ihm seine geheime-
sten Sachen, und that nichts, wenn er es nicht zuvor mit ihm überleget; daher
man auch Scherzweise zu sagen pflegte: *Eberus wäre Philippi Repertorium.*“
Conf. etiam *unparteyische Kirchenhistorie zu Jena*, vol. II. p. 110 edit. in med. 4t.
Vita huius EBERI in MELCH. ADAMI *visis theologor.* p. m. 204 sqq. plenius
enarratur.

Spirae conuenium indixit imperator.] Vid. IO. SLEIDANI *commentar. de
statu religion.* libr. XIII. p. m. 361. it. D. LVC. OSIANDRI *histor. eccles.* centur.
XVI, pag. 325. 326. Litterae ipsae Caesaris CAROLI V euolui possunt in
FRIEDR. HORTLEDERI *Ursachen des teufischen Krieges*, tom. I, libr. I, c. 33.
p. 130 sq. Atat idem conuentus ad *Spiram* indictus, propter *pestem* Spirae gras-
san-

PI MELANTH. *relata ad interrogaciones & responsiones.* Francoforti ad Viadrum,
c. 1531. in 8vo.

- e) Perperam igitur & parum honorifice in der *Samlung von alten und neuen theolog.
Sachen anno 1730* p. 359 dicitur: „Anno 1544 verheythete Melanchthon seine
„Tochter *Annam* an den berühmten *Georg. Sabinum*, die er ihm schon 1536 ver-
„sprochen. „ Nam iam a. c. 1537 d. 1111 Cal. Mart. ANNA Regiomonti
diem supremum obiit, *mater sex liberorum* facta. Vid. IOACH. CAMERARII *hi-
storia de PHIL. MELANCHTHONIS vita*, §. LXI, p. m. 213 sqq. & §. LXXVIII
p. 278 sq.

santem, deinde *Haganoam* translatus est. Vid. SECKENDORF. *hiflor. Lufveran.* libr. III, feët. 21, §. LXXVIII, p. 258 a. aut, fi mauis, pag. 1851 edit. teuton. *Frickii*, it. PAVL. SARPII *hiflor. concil. Trident.* libr. I, p. 100, feu tom. I p. 378 fqq. verſionis germanicae, cura ven. RAMBACHII adornatae. Haganoam quoque profectus est MELANCHTHON, ſed in via in *morlum* deploratum Vinariae incidit, aduentu LVTHERI ex media morte reuocatus. Vid. SECKENDORF. *l. c.* p. 313 ſq. latin. et p. 1882 german. it. CAMERARII *vira Melanchth.* §. LV, p. m. 188.

Gandauii praetereitū doctrinae aliquot interfecti ſunt.] Reſpicitur ad graue ſupplicium *Gandauenſe*, a. 1610 de aliquot ciuibus ſantum, praefente CAROLO V caefare. Vid. SLEIDANI *commentar.* libr. XIII. p. 361. De quo ſupplicio eiusque cauſſis pleni ſunt hiſtorici. Conf. *Einleitung zur Römiſchen und teutiſchen Hiſtorie*, p. 855 ſq. *Befchreibung der freyvereinigten Staaten und Spaniſchen Niederlande*, p. 1011, et alii.

III.

Clariffimo viro ſapientia eruditione & virtute praefantī D. Vlrico Mordisin Doctōri Iuris, Conſiliario Incltyti Ducis Saxoniae Electoris &c. Patrono ſuo Colendo.

S. D. Clariff. vir & Patrone cariffime. Exiſtimo vos ſcire colligi magnum agmen Equitum & peditum in vicinia Bremæ. Nec certum eſt quorum conſilio res gubernetur, eſſi ego eoſdem eſſe puto qui viuo Marchione Alberto his regionibus minitati ſunt. Oro deum ut nos protegat, & ſpero vos futuros eſſe in ſpecula.

Mitto Epiſtolam ducis Electoris Othenrici (Ottonis Heinrici) quo Heidelbergam vocor ad tempus, ad deliberationem de Academia. Neceſſe fuit me hoc indicare Illuſtriſſimo principi, Duci Saxoniae Electōri. Mihi quidem multa contraria in mentem veniunt. Non appeto plura & aliena negocia. Et ſcio Heidelbergæ magnam eſſe voluntatum diſſimilitudinem, & diuerſarum Nationum homines, belgas, gallos & alios. Eſt & opinionum diuerſitas. Eſſi igitur patria eſt, & ſcio ibi quosdam viros doctos & candidos eſſe, quorum mihi conſuetudo ſuavis eſſet, tamen migrationem non appeto. Contra uero propter Flacianæ factionis furores hæc commoditas offertur, q, (qua vel quod) in ea loca venire poſſem, in quibus liberius reſpondere iſtis ra-



biosis & indoctis possem. Nec uero dubitū est, quin proxime ueniens annus habiturus sit maiores tumultus in Imperijs, & in opinionibus quam fuerunt hactenus, quos deus mitiget.

Mitto uobis Epistolam heri ex Hungaria allatam, quae narrat duos fortes viros sophistice retractos esse, cum promissa esset eis fides publica. In tantis confusionib. orbis terrarum, nescio quid praeterea in Epistolis addere possim. Sed oro filium dei ut nos gubernet & protegat. Oro autem ut & responsionem Illustrissimi principis mihi significetis, & uestram sententiam de protectione mea in patriam ostendatis. Bene & foeliciter ualere die 5 Aprilis 1557.

Philippus.

Ad epistolam III.

Ad inscription. D. Vlrico Mordeisen.] VLRICVS MORDEISEN, natus Lipsiae a clo 10 XVIII, denatus a clo 10 LXXXIII, fuit electoris Saxoniae consiliarius praecipuus & cancellarius, fatis meritisque suis admodum clarus. Plura de eo dabunt MELCH. ADAMVS in *uiris ICTor.* p. m. 96. IO. FRIEDR. GAVME in *Adel. lexico.* p. m. 1065 sq. IO. CONR. KNAUTH in prodromo Misniae, p. 538 sq. Vid etiam *allgem. bistor. Lexic.* tom. III, p. 630. M. SCHREBERI *uira Georg. Fabricii*, p. 328 et M. SCHVMACHERI *bistor. uir. Adami Siberi*, p. 293. Quantam nominis celebritatem consequutus fuerit, uidere licet ex epistolis ab ipso & ad ipsum datis, quae in HVBERTI LANGVETI *epistolis secretis*, a IO. PETR. LVDOVICO (i. e. DE LVDWIG, cancellario) Halae, 1699 in 4t. editis, adfatim leguntur. Exstant etiam MELANCHTHONIS litterae ad hunc ICTum, at sermone patrio translatae, in CHRISTIAN. IVNCKERI *uira D. MART. LVThERI*, p. 144.

Agmen equitum & peditum in uicinia Bremae.] De hoc exercitu comparato consulendi sunt conditores historiae politicae circa annum clo 10 LVIII.

Viro Marchione ALBERTO] Fuit is ALBERTVS III, marchio Brandenburgicus Byruthanus, cognomine *Alcibiades*, qui post varia bella et fata tandem a clo 10 LVII d. 8 Ianuar. extinctus est. Mentio eius crebrior et in SLEDANI *commentar.* et in HORTLEDERI *Vrsachen des teuffiben Krieges*, nec non in SECKENDORFFII *bistor. Lutheran.* iniicitur. Fufius autem de eodem agitur in IO. WOLFGANG BENTSCIIII *brandenburgischem Cederhayn*, p. 643 - 666.

Epistolam ducis electoris OTTHENRICI] Hoc nomine uenit OTTO HENRICVS, dictus *magnanimus*, elector Palatinus ab a. clo 10 LVI usque ad a. clo 10 LVIII. Academiam Heidelbergensem, consilio MELANCHTHONIS suffultus, in ordinem statumque florentiorem redegit, fundator quoque biblio-

bibliothecae Heidelbergensis. Vid. D. GODOFR. LUDOVICI *histor. rector.* part. V, p. 127 sqq. IAC. BYRCKHARDI *non. anales. ad vitam suam*, p. 14. BYRC. GOTTHELF STRVVI *Pfaelzische Kirchenhistorie*, c. 3, pag. 38, it. *ausgeleschte Churpfalz-Simmerische Stammlinie*, p. 32 sqq. De vocatione MELANCHTHONIS Heidelbergensi rebusque ibi gestis vid. ADAMI *vit. theologor.* p. 168 et CAMERARII *vit. Melanchth.* §. CVII, p. m. 371 sqq. Memoratu dignum est, quod ADAMUS l. c. narrat: „Ibi (Heidelbergae), inquit, dum agit (Melanchthon), nuntium accipit de obitu uxoris suae, quem ei attulit, una cum litteris academiae Wittembergensis, IOACHIMVS CAMERARIVS, exoratus ab amicis, vt eo iret, suaeque praesentia luctum leuaret. Aperuit autem ipsi domesticum casum in horto principis, ad quem nullam dedit vehementioris doloris significationem, sed nominatim mortuae valedicens, hoc saltem addidit: *sepe eam breui subsequuturum.* „

Illustrissimo principi, duci Saxoniae Electori.] AVGVSTO, qui sine mora veniam abeundi Heidelbergam ei dedit.

Eis igitur patria est.] Nam MELANCHTHON *Brettae*, inferioris Palatinatus oppido, a. cccccLXXXVII d. 16 Februar. natus est.

Propter Flacianae factionis furores.] Certamina enim MATTHIAE FLACII Illyrici cum MELANCHTHONE anno potissimum cdo IO LVII exarserunt, atque acerrime agitata sunt. Vid. ADAMI *vit. theolog.* p. 167 sq. CAMERARII *vit. Melanchth.* §. CIII p. 355. et IO. BALTHAS. RITTERI *Lebensbeschreibung Marx. Flacii*, p. 66 sqq.

Respondere istis rabiosis et indolis possim.] Heic MELANCHTHON aliquid humani mihi videtur passus esse. Nam *doctrina* ipsius aduersariis Flacianae partis neutiquam defuit, apud quos tamen iustus dolor nonnumquam vehementiores animi commotiones excitauit, minime excusandas.

Quae narrant, (potius narrat s. narravit) duos fortes viros sophisticae retractos esse.] In CHRIST. AVG. SALIGII *Historie der angsp. Confession*, tom. II, p. 839 sequens in medium profertur narratio: „Heinrich Bullingers Sohn aus der Schweiz war um das Jahr 1557 selbst in Ungarn oder zum wenigsten in Wien. Denn Gallus Hussar, ein Prediger aus Ovarien, schrieb a. 1557 den 26sten October aus Wien an den alten Bullinger (quocum Melanchthon commercium litterarum persequutus est, teste ADAMO in *vit. theol.* p. 231) den betrübten Zustand des Königreichs cet. Der Ertzbischof zu Gran, Nicolaus Wallache, hätte drey Prediger gefangen gesetzt, wovon zweien auf der Canzel das Euangelium abgeschrieben cet. „ An vero hoc loco ad id ipsum digitus intendatur, aliis relinquo diiudicandum.



IV.

Clariss. viro sapientia & virtute praestanti D. Ulrico Mordisin
doctori Iuris Consiliario Incltyti Ducis Saxoniae Electoris,
Patrno suo colendo.

S. D. **C**lariss. vir & Patrone colende. Gratias ago Filio dei qui ad-
sumpsit massam humani generis, ut esset Redemptor Ecclesiae,
& est custos inuocantium ipsum, q, (qui) & Illustriss. principem Ducem
Saxoniae Electorem, & vos omnes reduxit in patriam saluos & recte
valentes, & cum oro, ut vos & patriam deinceps protegat & guber-
net. Haec cum scriberem die xv Nouembris nondum sciebam an
processura esset hic doctrinae collatio. Precedentem historiam optima
fide narrare poterit vir Nobilitate generis & virtute praestans Einfi-
delius. Nihil disputo de causis propter quas collegae nostri discesserunt,
fui etiam hortator Palatino & Wirtebergensi, ne exostulationem miterent
ad eorum principes, qui ἀνίστασθαι remissuri essent. Si
uiuam deo iuuante domum redibo, ut distribuam heredibus quantu-
luncunq; est, quod mater reliquit. Si mihi concedetis vt in alio loco
uiuam, respondebo illis indoctis sycophantis & vere & grauius, &
dicam vtilia Ecclesiae. Inter collegas qui adsunt, si procedet doctrinae
collatio, spero pium consensum fore. ac deum oro vt nos gubernet.
Bene valete. die xv Nouembris. (Anno ni fallor 1557.)

(Haec adiecerat alia manus)

Philippus.

Reuerenter salutat Magnificentiam Vestram ex
hoc carcere Paulus Eberus, & agit Deo gra-
tias pro incolumj reditu vestro.

(Subscripserat haec alia manus, & vt videtur, Eberus ipse.)

Ad epistolam III.

Ad inscriptionem.] Repetenda sunt ea, quae ad praecedentem epistolam sunt
adnotata.

Deficit

Deficit quidem et *annus* et *locus* huius epistolae datae; at res ipsa loquitur, MELANCHTHONEM eam Augustae Vangionum seu Wormariae, vbi a. c. 1517 colloquio religionis vna cum alijs interfuit, perscripisse.

[Qui et illustrissimum principem ducem Saxoniae electorem reduxit.] Est is AVGVSTVS, elector Saxoniae, tunc temporis Dania in patriam redax. Postquam enim a. c. 1517 filiam CHRISTIANI III, regis Danorum, ANNAM, pietate insignem, f) matrimonio secum iunxerat, ex focerum suum a. c. 1517 iter satis longinquum fecit AVGVSTVS, ad quo, Deo duce et comite, sospes et incolumis ad lares rediit. Conf. SALIGII *Histor. der Augsp. Conf.* tom. III, pag. 295, et auctores reliqui, in STRVVII *bibliothec. Saxon.* p. 573 sq. excitati.

[An processura esset hic doctrinae collatio.] Manifestum hoc est indicium chronologicum huius epistolae. Inquit enim aperte *disputationem Wormatiensem*, inter theologos euangelicos et pontificios habitam. De qua legi possunt CAMERARIUS in *vita Melanchthon.* §. CVI p. 365 sqq. OSIANDER in *epit. histor. eccles.* centur. XVI, libr. 3, pag. 676 sq. in primis autem SALIG in *der Historie der Augsp. Conf.* tom. III, p. 289 sqq. vbi inter alia p. 295: „Churfürst Augustus reiste um diese Zeit zu seinem Schwiegervater nach Dänemark, als eben die Deputirten nach Worms abreisen solten. Er ließ aber den Befehl zurück, Melanchthon solte nicht eher weggehen, bis ihm Mordeyßen Bescheid sagte &c.“

[Vir nobilitate generis et virtute praestans Einsfeldius.] Fuit is eques Saxonicus, HEINRICVS HILDEBRAND ABEINSEDEL, electoris AVGVSTI a consilijs secretis, cuius merita in ecclesiam pariter et rem publicam plane fuerunt insignia. Interfuit ille etiam colloquio Wormatiensi: at eodem hoc anno c. 1517 d. 6 Decembr. placide exspiravit. Plura de eo commemorantur in VALENTINI KOENIGII *Adels-historie*, tom. I, p. 253 sqq. praecipue vero in ERHARD. KAPPI *Nachlese einiger zur Reformationsgeschichte nützlicher Urkunden*, part. I, pag. 57 sqq. (qui potiora ex PECCENSTEINI *theatro Saxonico*, fol. 77 desumit). Effigies huius equitis praefixa exhibetur in KAPPI libro iam dicto, cum hac inscriptione: ANNO DNI. MDLVII DIE VI DECEMB. DECESSIT HENRICVS AB EINSIDEL QVINO. DVCVM SAXON. CONSILIARIVS AN. AETATIS LX. CONIVGII VERO XXXX.

C. stogo mod. unonizoo Do-

f) Memorabile pietatis exemplum est, quod in SIGISM. A BIRCKEN *Sachsßchem Heldenfaat*, part. II, p. 238 de ea adducitur: „Welche fromme Fürstin ihre Kinder so eifrig zur Gottesfurcht angehalten, daß der Fräulein eine, als sie Braut gewesen, am Tage ihres Beylagers mit den andern vor den Tisch treten, und, mit aufgehabenen Händen beten müssen.“



Donum redilo.] Finito scilicet colloquio Wormatiensi: vnde re infecta utrimque discessum fuit.

Quod mater reliquit.] Fuit ea vxor PHIL. MELANCHTHONIS, a. c. 1510 LVII, ipso absente, defuncta. Dicta fuit CATHARINA CRAPPIA, cum qua a. c. 1520 XX matrimonium inierat, et quattuor liberos, *Philippum*, *Georgium*, *Annam* et *Magdalenam*, susceperat. Vid. CAMERARII *vita Melanchthoni*. §. XII p. 37 seqq.

Respondebo illis indoctis sycophantiis.] *Flacianos* intelligit contumeliosos, De quibus inter alios ven. D. 10. GEORG. WALCHII *Religionsstreitigkeiten*, tom. I, pag. 69 seqq. euolui possunt.

Ad subscriptionem. Reuenter salutat cet.] Est haec manus ipsius PAVLI EBERI, qui eleganter pingere doctus fuit. Comes fuit MELANCHTHONIS in itinere et colloquio Wormatiensi, vbi partes *notarii* ex euangelicorum parte sustinuit.

Ex hoc carcere.] Verba haec non proprie, sed *improprie* sumenda sunt, quibus angustias molestiasque Wormatae deuorandas significare voluit EBERVS.

S. D. **C**lariss. vir & patrone cariss. Propter vestras occupationes Lipsiae minus vos interpellavi. Et differo liberationem de Theologica p̄lectione (praelectione) ad nostrum congressum in proximo mercatu Lipsico. Heri nuncio Suinfordensi dedi syndicationem (vindicationem) controuersiarum quas ibi concionatores mouerunt, de aliquot propositionibus, quarum haec vna est, An reuincatur Sp. sanctus nostra obedientia. In Heidelbergensi controuersia hoc actum est, discessit in Eluetios (Helueticos) is qui Heshusio aduersatus est. An Heshusius ibi mansurus sit, nondum scio. Sed Hildesii cum vocarunt, & suasi vt eum accerserent Francofordiae ad Viadrum. Litigat Musculus cum alio quodam lectore de hac propositione. Negat veram esse propositionem: Bona opera sunt necessaria, etiam si n̄c (nunc) addatur particula ad salutem. Senatus Academiae iussit partes, suas sententias exhibere scriptas. Nunc historica alia non habebam. Viro nobili Zeschio opto, ut haec ipsius in aulam migratio & reipub. & ipsi sit foelix. et filium Dei custodem Ecclesiae oro, ut Illustriss. Principem ducem

ducem Saxoniae Electorem & vos omnes gubernet & protegat. Iudico virum honestum & dignum esse benevolentia bonorum dominum Zeschium, & recte colere deum. Ideo spero eius consuetudinem vobis gratam fore. Bene valete. die 14 Nouemb. 1559.

Philippus Melanthon.

Ad epistolam V.

Volendum, quod desit *inscriptio*, nec adeo constet, ad quem missae fuerint hae litterae. Interim tamen ad *vicinis* fere MELANCHTHONIS pertinent, vt pote qui non ita multo post a. c. 1561 d. 19 April. decessit.

Parvone carissime.] Ex hoc titulo liquet, hanc epistolam ad virum quendam dignitate et munere excellentem datam esse.

Lipsiae.] Ibi fuit IOACHIMVS CAMERARIVS, amicus MELANCHTHONIS integerrimus, apud quem fortasse eo tempore commoratus est MELANCHTHON.

Controuersiarum, quas ibi (Suinfurti) concionatores mouerunt.] De his controuersis particularibus nihil adhuc lucis acquirere potui, angustia temporis interclusus. Mea quidem sententia ex *chronico* quodam *Suinfurtensi* hauriri poterit certior et vberior notitia.

In Heidelbergensi controuersia.] Agitata est ea Heidelbergae inter TILMANNVM HESHYSIVM et GVILIELMVM CLEBITIVM: ceu videri potest ex IO. GEORG. LEVCKELDI *historia Heshusiana*, §. 10. p. 14 sqq.

Litigat Musculus cum alio quodam lectore.] Est is D. ANDREAS MUSCVLVS, Professor theologiae in academia Viadrina non incelebris. De lite ipsa nihil certi definiri potest, nisi quod, eam ad controuersiam Maioristicam pertinere, in proptulo sit. In IAC. VERHEIDEN *praesant. theologor. effigieb.* p. 32 inter scripta Melanchthoniana refertur liber *de controuersia Musculi et Strancari*. Quoniam vero eum oculis vsurpasse non contigit, abs tinco a coniecturis sine ratione proferendis.

Viro nobili Zeschio opto.] Non quidem plane obscurum est nomen ZESCHIORVM in republica litteraria; quemadmodum GVILIELMVS ZESCHIVS, olim theologiae professor ordinarius Ienensis, praematura autem morte a. c. 1561 abreptus, in M. IO. CASP. ZEVMERI *uiris professor. theol. Ienens.* pag. 225 sqq. laudatur. Quum vero ZESCHIVS postea a MELANCHTHONE vocetur *nobilis*, dubium omnino suboritur, an huic familiae recte accenseri queat. Tutius hic nobilis ex profapia Silesiaca TSCHESCHIORVM



(nam orthographiam nominum propriorum mediocrius obseruarunt aetatis istius eruditi) oriundus videri posset. Vtrum vero eadem sit stirps, ex qua IO. THEODOR. a TSCHECH, notus e fanaticorum grege homo, descendit, parum liquet: et quum praenomen eius a MELANCHTHONE omisissimum sit, Oedipo coniectore opus erit. De reliquo tamen memoratur in M. HENR. AVG. SCHUMACHERI *hystor. vitae Adami Sileri*, p. 292 IONAS A ZEŠCHAV, consiliarius electoris et ducis Saxoniae AVGVSTI. Hunc esse Zschibium Melanchthonianum, hariolari quid vetat?

Haec sunt, quae stilo rudiori et festinante calamo, cui ignoscendum rogo, illustrationis causa proferre volui. Superesse adhuc in his *epistolis Melanchthonianis* aliquot nodos et cruces, inficiari non audeo. Interea publica earum diuulgatio occasionem forte praebit aliis, obscuriora in clariorem lucem proferendi. §)

g) Hoc loco liber adponere, ven. DN. D. GOTTH. AVG. FRANCKIVM, ordinis theolog. et ministerii Hallens. Seniorem grauissimum, paucos ante menses mecum communicasse *biblia latina*, quae ipse possidet, Basileae a. 1615 LI in 8v. mai. edita, in quorum fronte tria folia adparent, in quibus PHIL. MELANCHTHON expositionem quamdam loci *Io. XIII, 23* graece et latine manu sua, at sine anno et die, inseruit: ad eum fere modum, quem in OLEARII *serm. antiqu.* p. 156 sq. inuenimus, vbi alias cogitationes in idem dictum *Io. XIII* proposuit MELANCHTHON a. 1610 XXXVII.

In gratiam illorum, qui hic etiam cogitata PHILIPPI nostri, (not. g) laudata, legere desiderauerint, placet, (licet enim) verba ipsius dulcissima sane, appendicis loco, *ex ipso autographo* subnectere.

Filius Dei inquit in cap. 14. historiae Iohannis.

Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου ἴσῃσει, καὶ ὁ πατήρ με ἀγαπήσει αὐτόν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν ποιᾷ αὐτῷ ποιήσομεν.

Hanc necessariam doctrinam & dulcissimam promissionem teneamus infixam menti, & saepe recordemur. Primum doctrina proponitur quae & vbi sit vera Ecclesia Dei. Adfirmat n. (nempe) hunc visibilem coetum esse Dei Ecclesiam, qui Euangelium docet, audit, discit, fide amplectitur & ei obedire incipit. In hunc coetum te quoque; includas & scias oportere singulos pios statuere se quoque; membra esse verae Ecclesiae iuxta dictum. Vnum hoc requiro ut habitem in domo domini omnibus diebus vitae meae. Sic certo es membrum verae Ecclesiae Dei cum Euangelium audis, discis, fide amplecteris, & ei obedire

dire incipis. Et eius obedientia pars est, adgregare se sententia, confessione & inuocatione ad veram Ecclesiam vbicunq; sparsa est.

Postquam autem didicisti, quae & ubi sit vera Dei Ecclesia, & profiteris te quoq; membrum eius esse, hanc summam promissionem intuere, & te confoles hac dulcissima voce, pater diligit te, & domicilium es aeterni patris, filii & spiritus sancti. Habes certo remissionem peccatorum, & diuinitas in te habitans Nouam iusticiam & vitam in tuo corde accendit. Exaudit gubernat, & protegit te in hac vita. Et post hanc vitam clare se tibi ostendet & in omni aeternitate, lucem sapientiam, iusticiam, vitam & laeticiam suam in te transfundet.

Philippus Mel.

Sed iam tempus est ad eos, qui ansam hisce pagellis dederunt, reuertendi. Adfunt nimirum *quatuor* selectissimi Iuuenes, propter ingenii erectiorem indolem morumque elegantiam vtiq; commen-

dandi, qui post legitime & laudabiliter confectum in classe nostra selecta scholasticum stadium iam ad academicum, bono cum Deo, decurrendum sese adinixerunt. Prius vero, quam nouum hoc vitae

studiorumque genus ingrediuntur, solennia profectuum & diligentiae specimina edituri sunt, gratumque erga omnes animum, quibus debere se intelligunt, & eo quidem, quo ad nos venerunt, ordine, publice profitebuntur. Primus illorum FRANCISCVS CAROLVS *Misch-*

müller, Westphalus, ante annos abhinc septem & sex menses ad nos aetate adhuc tenera missus, multis iisque eximiis animi dotibus exornatus Iuuenis, & a nobis ad optima quaeuis institutus formatusque. Qui si bonarum & vtilium rerum, quas iam affatim imbibit, scientiam amplificare & cognita, id quod caput, ad vitae vsum transferre, nunquam, quod confidimus, pigritus fuerit, futurum est, vt nec nos impensi tot annis laboris, nec illum temporis apud nos acti vnquam poeniteat. Suprema oratione, *Deum Et in bello bonorum felicitati prospicere*, euincet gallice. Prospiciat & ipsi clementissimus Deus!

Hunc excipiet CAROLVS BERNHARDVS *L. B. ab Ende*, Saxo,



PERILLVSTRIS & GENEROSISSIMI PARENTIS, Consistorii
Lipsiensis PRAESIDIS GRAVISSIMI, cet. filius natu maior, per
triennum noster, propter morum integritatem, ingenuam mentis
indolem, studiumque litterarum acre & omnino indefessum commen-
dabilis, eoque nomine laude dignus, quod in eo constanter elaborare
visus est, vt & ornamento illustri familiae, & quam plurimis suo tem-
pore emolumento existat. Vltimo apud nos sermone *de voluptate
ex vita scholastica bene instituta* ager latine. Largiatur benignis-
simum Numen, vt ex vita quoque academica & omni reliqua bene
instituta, voluptas ipsi ingenua suaueque olim solatium efflores-
cat! Sequitur IOANNES VVILHELMVS **Reinhardt**, Colberga-Po-
meranus, qui postquam ante biennium & menses sex in disciplinam
curamque nostram concessit, cum per id temporis animum, eos mo-
res, industriamque eam probauit, vnde spem de ipso optimam con-
cipere licuit. Qui cum scientiarum reginae, Theologiae, sese addixe-
rit, (reliquis commilitonibus Iurium studium in Paedagogio inchoatum
prosecuturis) nihil magis in votis habemus, quam vt sacratum supre-
mo sanctioris ciuitatis Domino vas & ad praecelara omnia paratum
euadat. Scholam nostram valere iubebit, si *egestatem* prius *saepe
virtutis incitamentum* cecinerit latine. Tandem ex hoc ordine abi-
tionem parat ANDREAS **Kreßschmer**, Sedinensis, in hac domo
per annos duo a nobis educatus. Cuius si egregias animi facultates,
ingenium perquam docile, multis iam speciminibus comprobatum, co-
gito, magna mihi optimaque praesagire videtur Iuuenis industrius
variaeque doctrina bene perpolitus. Gratum erga moderatores stu-
diorum animum germanica testificabitur oratione, qua *de varia homi-
nibus a Deo concessa voluptate* disseret. Sit vnica ipsius voluptas,
vnico Deo consecrare, quas a Deo velut aes prudenter studioseque
occupandum accepit ingenii dotes! Possent in censu florentissimorum Iuuenum multo verbosior esse,
adeque vita illorum & moribus non pauca addere, nisi parcendum mo-
destiae

destinae illorum fatius videretur. Publico interea Paedagogii nomine addere non dubito, de se spem ad vnum omnes excitasse, fore, vt confirmatis in omni vera laude animis maturos olim atque egregios reipublicae fructus referant; cui fiduciae euentus vt ex asse respondeat, faxit Deus clemens atque propitius!

His vero discedentibus & reliquis, qui ex iuuentute nostra surgent, oratoribus, vt beneuolam velint auscultationem indulgere humaniorum litterarum PATRONI & CVLTORES, reliquosque actus lustrationis publicae iuuentutis nostrae praesentia sua coonestare, omni, qua decet, obseruantiae testificatione rogo. P.P. Halae Magdeburgicae in Paedagogio regio. D. XXIII Septembris. MDCCCLXI.

CONSPECTVS ORATIONVM.

- I. IOANNES CHRISTOPHORVS Müller, Colberga-Pomeranus, *de stultitia quadam in promittendo conspicua*, dicit germanice.
- II. CAROLVS FRIDERICVS WILHELMVS ALEXANDER L. B. a Reck, Westphalus, *procellas largum inundantemque imbrem deiicientes*, pinget ode sapphica.
- III. IOANNES FRIDERICVS IACOBVS Buhse, Halensis, *memorabilia temporis* enarrabit carmine germanico.
- IV. IOANNES GODOFREDVS Morgenbesser, Vratislauenfis, *eum demum viuere, qui non erubescit laborare*, enodabit graece.
- V. AVGVSTVS WILHELMVS ab Oppen, Eques Saxo, *temperantiam, virtutem laude dignissimam*, sistet oratione germanica.
- VI. EBERHARDVS FRIDERICVS CHRISTOPHORVS LVDOVICVS L. B. a Reck, Westphalus, *vindictam Domini* canet carmine germanico.
- VII. WILHELMVS GOTTLIEB Wangerow, Sedinenfis, *virtutem victicem* inducet gallice.
- VIII. AVGVSTVS WILHELMVS L. B. ab Ende, Saxo, *proelium* describet carmine germanico.

SE-

O R A T I O N E S V L T I M A E

Quatuor ex classe selecta discedentium.

Quibus, si prius

E X C L A S S E P R I M A

FRIDERICVS HENRICVS Stubenrauch, Desslaueriensis, egregius Iuuenis, *providentiam humanae vitae praesidem*, carmine amphibrachico miratus, Scholae nostrae vale dixerit,

AVGVSTVS FRIDERICVS CAROLVS Höfer, Anhaltinus, *de titubante animo* nonnulla praefatus, quatuor fausta felicitaque omnabitur, germanice.

O R D O E X A M I N I S

DIE XXIV. SEPTEMBRIS

AB HORA VIII - XII. PRODBIT

- | | |
|--------------------------|--|
| 1. Classis theologica I. | 8. Oratio II et III. |
| 2. Hebraica I. | 9. Historica I. (gallice examinabitur) |
| 3. Lat. III. inf. | 10. Oratio IV. et V. |
| 4. Gallica II. sup. | 11. Logica. |
| 5. Lat. II. sup. prof. | 12. Oratio VI. et VII. |
| 6. Oratio I. | 13. Historia naturalis. |
| 7. Mathematica II. | 14. Gratiarum actio I. |

AB HORA II - V.

- | | |
|-------------------|----------------------------|
| 1. Heraldica. | 5. Arithmetica II. sup. |
| 2. Gallica I. | 6. Historia ecclesiastica. |
| 3. Mathematica I. | 7. Geographica II. sup. |
| 4. Lat. I. prof. | 8. Theolog. II. sup. |

DIE XXV. SEPTEMBRIS

AB HORA VIII - XII.

- | | |
|------------------------|--|
| 1. Theologica III. | 8. Examen Classis selectae philosophicae, theologicae et oratoriae, cum honesta missione coniunctum. |
| 2. Lat. III sup. prof. | 9. Orationes IV vltimae ex classe selecta. |
| 3. Antiquaria II. | 10. Valedictoria ex cl. Ima. |
| 4. Graeca II. sup. | 11. Gratulatio. |
| 5. Lat. II. inf. poet. | 12. Oratoria I. |
| 6. Historica II. | 13. Gratiarum actio II. |
| 7. Oratio VIII. | |

G R A T I A S A V D I T O R I B V S A G E N T

- I. SIGISMVNDVS GODOFREDVS Just, Schmiedeberga - Silesius, quaedam *de vero vitae sine* praefatus gallice.
- II. CHRISTOPHORVS CAROLVS GVSTAVVS a Schmiedeberg, Eques Pomeranus, si prius, *beatum esse, qui sperat*, demonsttrauerit gallice.

19. 4524 OK

mit



X 2290410







Q. N. 260, 11.

17. 433.

IOANNES ANTONIVS NIEMEIER
PAEDAGOGII REGII HALENSIS INSPECTOR

EXAMEN PVBLICVM

IN PAEDAGOGIO REGIO

D. XXIV ET XXV SEPTEMBR. MDCCLXI

HABENDVM

INDICIT

ET SIMVL

FAVTORES ATQVE AMICOS

AD

AVDIENDAS ORATIONES VLTIMAS

QVATVOR SELECTI ORDINIS CIVIVM

OFFICIOSE INVITAT

EXHIBETVR

PHILIPPI MELANCHTHONIS EPISTOLARVM

ADHVC NONDVM EDITARVM

P E N T A S.

HALAE

EX OFFICINA SCHNEIDERIANA.

